

rum molestiam detrectat, se ipsum in sempiternam miseriam atque mortem præcipitat.

Quod si a me quærat, quibus in rebus nobis elaborandum sit; facile quidem hoc ex his, quæ hæcenus de virtutis natura, quæ circa difficilia & ardua opera versatur, dicta sunt, intelligere poteritis. Sed quoniam hoc universe dictum est, idem etiam sigillatim explicare tentabo. Olim Rebecca uterum gestanti, & Dominum de futuro partu consulenti, dictum est: (a) *duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividuntur*. Idem igitur sibi quisque fidelium quadam similitudine dictum putet. Duos enim quisque nostrum variarum cupiditatum exercitus in pectore suo gestat, qui adversus virtutis & rationis imperium continenter bellum gerunt. Aliæ enimopes, honores, & carnis delicias sitienter appetunt: aliæ vero, si quis nobis impedimento sit, quo minus hæc ipsa, quæ ardentem cupimus, assequamur, ira, odio, vindictæ cupiditate atque livore, variisque perturbationibus, nos a virtute, & tranquillo mentis statu dejicere conantur. In his

igitur utrisque affectibus, ce-terisque turbidis animi motibus frenandis, tota vita laborandum est: ne videlicet hujusmodi affectionum impetus nos transversos agant, & a virtutis tramite abducant. Hoc est igitur stadium, in quo pietatis cultoribus tota vita decertandum est, si cum triumphali palma cælos penetrare desiderant. Sunt etiam varia improborum hominum maledicta & malefacta, quæ caritatis virtutem acriter impugnant: quæ etiam forti & generoso animo superanda sunt, ne ab hac virtute, in qua christianæ justitiæ summa constituta est, excidamus. Ita enim fiet, ut virtutis hujus tuendæ gratia spiritualis martyrii coronam percipere mereamur. Alii enim propter tuendam fidem, alii propter caritatem conservandam martyres sunt. Quisquis enim persecutionem patitur propter justitiam, si non in littera, certe in spiritu martyr est. Habetis igitur in his rebus, fratres, exercendæ virtutis propositam materiam.

§. II.

Sed insurget hic fortasse aliquis: quid, inquit, pater, agis? Officii tui est, nos ad virtutis studium & amorem tra-

(a) *Genes. 25. 23.*

ducere; ad quod ejus magis delicias, quam labores, ob oculos ponere debuisses, quo nos hac suavitatis illecebra inescares: tu contra diversa ratione ejus nobis labores & asperitatem objicis. Non temere hoc facio, fratres; necesse enim est, ut quemadmodum adversus hostes dimicaturi, eorum vires nosse diligenter student, quo similes copias, & parem animi magnitudinem adversus illorum impetus comparent: ita in virtutis stadio certaturi, qui sint, ipsis labores exantlandi, quæ certamina subeunda, prius animo comprehendere debent, ne, si languidi & imparati in hoc certamen descenderint, in primo congressu, improvisi laboris magnitudine deterriti, frangantur. Ne quis tamen hac occasione animum despondeat, is primum animadvertere debet, plurima esse in vita multis laboribus & sudoribus implicita, quæ tamen homines, quum aliqua subest aut necessitatis aut utilitatis ratio, adeo non refugiunt, ut libenter etiam amplectantur. Quid enim aliud agunt omnes, qui labore manuum suarum die ac nocte victum sibi suisque comparant? Quid faber ferra-

rius, qui noctem tamquam diem transigit? ut enim Ecclesiasticus ait: (a) *vapor ignis exurit carnes ejus, & in calore fornacis concertatur*. Quid vero prolis avidæ matres? Num hæc aut intolerandos partus dolores, aut educationis filiorum diurnos nocturnosque labores & molestias pertimescunt? Non ergo in labores solum, sed in laborum fructum, & alia multa, quæ laborum acerbicatem leniunt, oculos conjicere debemus, ne prima virtutis specie territi ab ea resiliamus.

Et quidem si in scelerata vita minus esset difficultatis ac laboris; non mirum esset, ad illam a virtutis & honestatis tramite deficere: sed longe tamen secus evenit. Quid enim improborum hominum vita laboriosius? quid acerbius? An non ipsi in libro Sapientiæ hoc ipsum confitentur: (b) *lassati, inquit, sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus*? Fateor, in utraque vita labores non deesse. At longe improborum, quam piorum, vita laboriosior est. Senecam audiamus. (c) „Sanabilibus, inquit, ægrotamus malis: ipsaque nos in rectum

S 2

„ge-

(a) *Ecclesi. 38. 29.* (b) *Sap. 5. 7.* (c) *De Ira, lib. II. cap. 13.*

„ genitos natura, si emenda-
 „ ri velimus, juvat. Nec, ut
 „ quibusdam visum est, ar-
 „ duum in virtutes & asperum
 „ iter est: plano adeuntur.
 „ Non vanæ vobis auctor rei
 „ venio. Facilis est ad beatam
 „ vitam via: inite modo bo-
 „ nis auspiciis, ipsisque Diis
 „ bene juvantibus. Multo dif-
 „ ficilius est, facere ista, quæ fa-
 „ citis. Quid enim quiete o-
 „ tiosius animi? quid ira labo-
 „ riosius? quid clementia re-
 „ missius? quid crudelitate
 „ negotiosius? Vacat pudicitia,
 „ libido occupatissima est. O-
 „ mnium denique virtutum
 „ tutela facilius est: vitia ma-
 „ gno coluntur. „ Hactenus il-
 „ le. Si hoc igitur philosophus
 „ sentiebat, qui gratiæ virtu-
 „ tem ignorabat; quid nos sen-
 „ tire par est, qui ejus præpo-
 „ tentem ac singularem vim con-
 „ firmemur? Sed afferam tamen
 „ hujus rei locupletissimum te-
 „ stimonium ab ipsa voluptatis
 „ officina profectum, quod nul-
 „ li homines, quamlibet volu-
 „ ptatum amantes, rejicere pos-
 „ sint. Epicurus enim voluptatis
 „ assertor, in qua humanæ vitæ
 „ felicitatem collocabat, eodem
 „ Seneca referente, virtutem i-
 „ deo sequendam esse dicebat,

quod magnam sectatoribus suis
 voluptatem afferret: vitia ve-
 ro fugienda, quod innumeras
 secum molestias ex metu &
 malorum conscientia, & cupi-
 ditatum intemperantia menti
 ingenerarent. Qua in re non
 admodum a dogmatibus no-
 stris abhorret etiam Epicurus,
 quum alibi quidem de viro ju-
 sto scriptum sit: (a) *gaudium est*
justo facere justitiam; alibi vero
 de via impiorum propheta di-
 cat: (b) *contritio & infelicitas*
in viis eorum, & viam pacis
non cognoverunt. Verissime e-
 nim a D. Augustino dictum
 est: *Jussisti, Domine, & vere*
sic est, ut pœna sibi ipsi sit ani-
mus inordinatus.

Sed, quibus virtus condi-
 mentis, quam habet, amaritu-
 dinem vel temperet, vel pror-
 sus adimat, expendamus. Pri-
 mum certe, ut ita dixerim,
 condimentum ejus est, meriti
 magnitudo. Laboris enim cu-
 mulus, qui ex ipso virtutis o-
 pere nascitur, dummodo cari-
 tas adsit, meriti etiam cumu-
 lum ita auget, ut ubi major
 fuerit laboris molestia, majus
 sit etiam boni operis meri-
 tum. Diligenter quidem illa
 Raphaëlis angeli verba ad To-
 biam adnotanda, & imo pe-
 cto-

(a) *Prov. 21. 15.* (b) *Psal. 13. 3.*

ctore condenda sunt: (a) *quan-*
do, inquit, orabas cum lacri-
mis, & sepeliebas mortuos, &
relinquebas prandium tuum, ego
obtuli orationem tuam Domino.

Præclarum quidem opus erat,
 & orare, & mortuos tradere
 sepulturæ: sed lacrimas preci-
 bus adjungere, & prandium
 relinquere, & cum mortis et-
 iam periculo mortuos humare,
 hoc ita gratum Deo fuit, ut
 tam nova & insolita ratione
 afflictis Tobix rebus Dominus
 consuluerit; quum Raphaëlem
 angelum, humanam speciem
 referentem, e celo demiserit,
 qui tot diebus juniorem To-
 biam comitaretur, una cum il-
 lo iter ageret, una cibum &
 potum cum illo capere simila-
 ret, atque tam multis & pa-
 trem & filium beneficiis affi-
 ceret. Unde hoc? Certe ex la-
 crimis, & vitæ periculis, at-
 que laboribus, quos vir san-
 ctus propter Dei gloriam sus-
 cipiebat. Unde Dominus, Paul-
 lum apostolum laudaturus,
 prætermisissis aliis ejus virtuti-
 bus, singularibusque privile-
 giis, hanc in eo laborum to-
 lerantiam præcipue commen-
 dat. Sic enim ad Ananiam di-
 scipulum ait: (b) *vade, Ana-*
Tom. III.

nia, quoniam vas electionis est
mibi iste, ut portet nomen
meum, &c. Ego enim ostendam
ei, quanta oporteat eum pro no-
mine meo pati.

His etiam adde mirabiles
 paracleti Spiritus consolatio-
 nes, & spiritualia gaudia, qui-
 bus pios homines visitare, con-
 solari atque reficere solet, &
 occulto illo manna pascere; cu-
 jus suavitatem nemo scit, nisi
 qui accipit. Hinc vates regius:
 (c) *quam magna, inquit, mul-*
titudo dulcedinis tuæ, Domine,
quam abscondisti timentibus te!
 Quæ quidem dulcedo tanta
 est, ut ipsas etiam cælestes vir-
 tutes in admirationem rapiat,
 quæ in Cantic. dicunt: (d)
quæ est ista, quæ ascendit de de-
ferto, delitiis affluens? Quomo-
do, quæso, in unum cœiunt,
e deserto ascendere, & delitiis
affluere; quum in deserto nihil
nisi squalor, solitudo, atque
sterilitas omnium deliciarum
sit? Immo vero hæc inter se
maxime cohærent. Eos nam-
que, qui in hac terrenarum de-
litiarum sterilitate tamquam in
deserto vivunt, spiritualibus
gaudiis atque delitiis oblecta-
re Dominus solet, ut veris
gaudiis vana gaudia, solidis

S 3

bo-

(a) *Tob. 12. 12.* (b) *Act. 9. 15. 16.* (c) *Psal. 30. 20.* (d) *Can-*
tic. 8. 5.

bonis inania bona, spiritualibusque delitiis carnales delicias repudiare facile queant. Hac ergo spiritualis jucunditatis illecebra fidelium mentes miro modo ad se Dominus trahit. Quod quidem propheta significasse videtur, quum ait: (a) *manducaverunt & adoraverunt eum omnes pingues terrae, in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.* Quem locum interpres quidam sic explanat. Manducaverunt, & quum gustassent spiritualia Domini dona, supplices facti sunt potentissimi quique eorum, qui terram inhabitant, & in venerationem illius genua flectent. Gustata enim spirituali suavitate, facile est, omnia alia mundi oblectamenta fastidire, & Christi crucem amplecti, & supplicem illi fieri.

Adde his etiam mercedem, quæ strenue laborantibus in caelo reposita est. Hac enim Apostolus Corinthios ad strenue laborandum hortatur, quum, exposita resurrectionis & immortalitatis gloria, tandem ait: (b) *itaque, fratres mei, stabiles estote, abundantes in omni opere Domini, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Dei enim ineffabilis & immensa bonitas,

quæ suaviter omnia disponit, in hoc brevis ævi curriculo certamina & labores esse voluit: in altero vero, quod sempiternum est, præmia sunt & coronæ meritorum. Hic militamus, illic coronamur: hic per labores præparamur ad regnum, illic vero defuncti laboribus vocamur ad requiem. Cujus rei imaginem structura templi Salomonis commodissimam exhibet. In ejus namque fabrica, quemadmodum in Regum libris legimus, (c) *malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita, quum ea domus edificaretur.* Adeo enim perfecte lapides & ligna in monte Libano dolata erant, ut in suo quodque loco sine securis aut mallei officio aptissime collocaretur. Quod igitur in illius terreni templi fabrica contigit, idem etiam in cælestis templi structura eveniet; quæ ab origine mundi cœpta, in fine tandem, non ex mortuis, sed ex vivis lapidibus, consummanda est. Hic enim lapides vivi dolantur, illic vero sine ullius ferramenti ministerio in suis sedibus collocantur. Sed quonam modo dolantur? Ecclesia appositissime id in hymno declarat his verbis: tun-

(a) Psalm. 21. 30. (b) 1. Corinth. 15. 58. (c) 3. Reg. 6. 7.

tionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis, per manum artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis.

Hac ergo spe se pii homines consolantur, quum variis in vita laboribus premuntur: quod intelligant, se tunc non premi, sed poliri; non a Deo desereri, sed dolari; non lacerari, sed ornari, quo in illa cælesti fabrica tanto præstantiorem locum obrineant, quanto majoribus hic laboribus pressi & attriti fuerint. Nisi enim hac bona spe sustentarentur, quo modo inter tot mundi turbines atque procellas subsistere possent? Hinc pro eo, quod nos legimus: (a) *credo videre bona Domini in terra viventium*; alii verterunt: *nisi credidissem, me visurum bona Domini in terra viventium.* Est autem oratio Hebrææ linguæ more præcisa, quæ hunc sensum proposito nostro accommodatum reddit. Quum adversum me tot iniqui testes insurrexissent, in eas angustias conjectus sum, ut nisi firmiter credidissem, & veluti persuasum habuissem, visurum me aliquando insignem Domini benignitatem & clementiam in terra, in qua semper vivunt, qui nunquam sunt moritu-

ri, tunc animum despondissem. Hæc igitur piorum firmissima spes miro modo ipsorum animos ad ferendos labores munit & roborat.

§. III.

Jam vero sanctorum omnium varii labores atque certamina, pro justitia & pietate suscepta, quantum nos ad laborum tolerantiam excitare debent? *Facta*, inquit D. Gregorius, *precedentium pensemus, & gravia non sunt, quæ toleramus.* Sed intra hos tamen, sanctorum martyrum agones singulariter eminent. Hoc enim tabida tyrannorum feritas, satanæ furiis exagitata, captabat, ut aliquid morte atrocius inveniret, si qua fieri posset, ut Dei famulos de gradu virtutis & constantiæ depelleret, & invictam eorum fidem labefactaret. Unde alii bestiis immanibus laniandi objiciebantur, alii per saxa & tribulos ad caudas indomitum equorum alligati raptabantur, alii membratim dissecebantur, alii frequentibus sagittis configebantur, alii novo genere supplicii brumali tempore boreali que regione vincis pedibus frigore enecandi reponebantur. Quid vero illos memorem, qui in sartagine fer-

(a) Psalm. 26. 13.

venti oleo atque adipe frige-
bantur? Quid, qui in craticu-
la prunis suppositis, furcisque
ferreis compressi torrebantur?
Quid, qui in equuleo suspensi,
ferreis pectinibus alte impressis
excarnificabantur, atque ita
sulcatis visceribus super acutas
testulas & tribulos lacerandi ja-
ctabantur? Quid, qui diversis
flagellorum generibus, virgis,
scorpionibus & plumbatis ca-
debantur? Quid, qui fame &
squalore, ac tenebris carceris
longo supplicii genere conficie-
bantur?

Quamvis autem mirum sit,
tam varia & immania tormenta
unum corpus adeo fragile sus-
tinere potuisse; longe tamen
mirabilius est, videre, qua a-
nimi constantia & alacritate ad
hæc supplicia fideles proficisce-
bantur: adeo ut multi etiam
non quæsi ultro se ad exopta-
tissimam mortem offerrent, ma-
gna voce clamantes: christia-
nus sum, christianus sum. In
his igitur, qui se ad mortem ul-
tro offerebant, martyrii ardor;
in aliis, qui deprehensi ad mor-
tem ducebantur, devotio &
animi promptitudo præcipue
commendatur. Quod cum in
aliis, tum in beatissimo marty-
re Cypriano animadvertere li-
cet: qui quum ad Galerium præ-

fidem adductus esset, Galerius
que dixisset: *tu es Cyprianus?*
vir sanctus incunctanter re-
spondit: *ego*. Tum Galerius:
tu es ille, quem christiani papam
suam nominant? Sanctus Dei
respondit: *ego*. Proconsul dixit:
jusserunt tibi principes adorare
Deos? Sanctus Dei respondit:
non faciam. Proconsul dixit: *me-*
lius faceres, si saluti tue consu-
leres: sanctus respondit: *salus*
mea Christus est. Denique con-
tra illum, Deos negantem &
blasphemantem, sententia ex ta-
bella recitata est: *Statius Caci-*
lius Cyprianus gladio feriatur.
Sanctus Dei respondit: *amen*. O
amen! o dulce verbum! o fe-
lix vitæ clausula! o ingens mor-
tis desiderium hac una voce de-
claratum, quo sanctus Dei vi-
tam conditori suo atque redem-
ptori impendere cupiebat! At-
que hac novissima voce prola-
ta, cervicem obtulit gladio, pro-
que tanto beneficio carnifici vi-
ginti aureos dari jussit; & quum
vitam alii redimant auro, iste
mortem mercatus est auro.

Denique non raro infideles
ipsi, qui tormentis aderant, in-
superabilem hanc animi magni-
tudinem & constantiam demi-
rati, aliquid ibi supra humanæ
naturæ conditionem sublimius
intelligebant. Qua de re sic i-
dem

dem Cyprianus in epistola ad
quosdam sanctos martyres: „vi-
„dit, inquit, admirata præ-
„sentium multitudo caeleste
„certamen, certamen Dei,
„prælium Christi. Stetisse ser-
„vos ejus voce libera, mente
„incorrupta, virtute divina te-
„lis quidem sæcularibus nu-
„dos, sed armis fidei creden-
„tis armatos. Steterunt torti
„torquentibus fortiores, &
„pulsantes ac laniantes ungu-
„las pulsata ac laniata mem-
„bra vicerunt. Inexpugnabilem
„fidem superare non potuit sæ-
„viens plaga diu repetita;
„quamvis rupta compage vi-
„scerum torquerentur in ser-
„vis Dei non jam membra, sed
„vulnera. „ Horum autem ex-
„emplorum quanta sit in eccle-
„sia multitudo, declarat sponsa
in Cant. quum ait: (a) *sicut tur-*
ris David, quæ edificata est
cum propugnaculis: mille clypei
pendent ex illa, omnis armatu-
ra fortium. Inter quæ spiritua-
lis vitæ munimenta non postre-
mum locum sanctorum marty-
rum exempla tenent.

Quid quod non solum mar-
tyres, sed sancti etiam confes-
sores, tam multos labores, &
perditorum hominum infesta-
tiones passi sunt? Sanctissimo

papæ Gregorio, præter barba-
rorum incursions, & gravissi-
mos corporis morbos, quos in
vita pertulit, ne mortuo qui-
dem mundus pepercit. Post ejus
namque mortem quædam ejus
clarissima scripta a perditis ho-
minibus, ejus gloriæ inviden-
tibus, igni tradita sunt. Alter
vero Gregorius Nazianzenus,
Constantinopolitanus antistes,
cathedram suam ob æmulorum
invidiam deserere coactus est:
D. Basilus gravissimas ab im-
peratore Valente Ariano per-
sequutiones passus est. D. Chry-
sostomus innocens & sanctus
exilio multatus, atque in eo,
magnis exantlatis laboribus
propter ecclesiam, & morum
correctionem, vitam finivit. D.
Hieronymus ob malevolorum
invidiam Romam deseruit, &
in Palæstinam profectus, adeo
graves canum suorum morsus
pertulit, ut nonnulli eum hæ-
reseos insimularent. Ambrosius
item acerbissimum odium a Ju-
stina Ariana, Valentiniani im-
peratoris matre, sustinuit. Quid
vero Athanasius? cui vix ullus
in toto terrarum orbe tutus lo-
cus ad latendum fuit: qui,
quod pane incredibile esse
videtur, sex annos conti-
nuos in sicca cisterna sine So-
lis

(a) Cant. 4. 4.

lis adspectu latuit.

Nunc ad vos, fratres. Si ea divina gratiæ & caritatis virtus est, ut non modo divinæ legis onera, sed immania etiam tyrannorum tormenta alacri & invicto animo perferre valeat; quam, quæso, nos ante superni judicis tribunal excusationem obtendere poterimus, quum aperte videamus, ejusdem naturæ consortes tanto majora onera, divinæ gratiæ ope adjutos, pertulisse, quam quæ a nobis exiguntur? Hæc igitur a nobis hodie in beato N. virtutis & constantiæ exempla proponuntur; quæ ut improbis omnem excusationis ansam adimunt, ita piis acres ad virtutem & pietatem stimulos addunt. Itaque, fratres, non solum divinæ legis asperitatem animadvertere deberis, sed ulterius progressi, considerare, peccatorum hominum vitam longe majoribus curis & molestiis esse implicitam: piorum autem, præterquam quod minus molesta est, hæc etiam adjumenta, quæ sunt a nobis proposita, habere. Adjuvat enim nos primum meriti magnitudo, quod strenue laborantibus propositum est. Adjuvat corona cælestis, quæ justitiæ & integri-

ti in cælo proposita est. Adjuvat paracletus Spiritus, qui fidelium corda, ne laboribus fracti deficient in via, miris reficit gaudiis atque delitiis. Adjuvat postremo insuperabilis divinæ gratiæ virtus, quæ ita apostolorum & martyrum mentes munivit, ut eorum omnium sit illa vox: (a) *quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* His igitur adjumentis confirmati, fratres, animum resumamus, & ad divinorum præceptorum obedientiam alacriter accingamur. Nulla nos mundi adversitas, nulla carnis voluptas, nulla terreni lucri cupiditas, nulla popularis auræ vanitas, nulla pravorum hominum exempla, nulla consilia, nullæ ipsorum sive injuriæ, sive contumeliæ; nihil denique in vita sit, quod nos a contento pietatis & justitiæ cursu retardare possit; sed his omnibus impedimentis atque hostibus superatis, per semitas justitiæ gradiamur, ut sic tandem sempiternæ justitiæ coronam cum eisdem martyribus, ab imperatore nostro promissam,

(a) Rom. 8. 35.

sam, percipere mereamur: qui vivit & regnat in sæcula sæculum Patre, & Spiritu sancto lorum. Amen.

* ❖ *

IN FESTO SANCTORUM MARTYRUM CONCIO SECUNDA,

DE FIDEI VERITATE: IN QUA DUO clarissima ejus testimonia & firmamenta tractantur: alterum, mundi conversio, quæ sine miraculis esse non potuit: alterum, divinæ gratiæ virtus, quæ internæ pacis & tranquillitatis beneficio miro modo ejusdem fidei veritatem confirmat.

THE. Hac est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

I. Joan. V. 4.

*** Nter ea, quæ ad vitam hominum optimis institutis moderandam adjuvant, tantum recte vivendi exempla conferunt, ut sempiterni Patris Filius sub imaginis humanæ specie terras lustrare, & inter homines versari dignatus fuerit: non solum ut eos redimeret, sed etiam ut se ipsum absolutissimum virtutum omnium exemplar exhiberet. Ut enim Lactantius ait: *homines*

malunt exempla, quam verba; quia loqui facile, præstare difficile. Hac igitur de causa ecclesia, de communi semper omnium salute sollicita, quæ nullum non movet lapidem, quo nos ad virtutis & pietatis studium impellat, tam multa & varia sanctorum festa singulis præne diebus celebranda proponit, non solum ut eorum precibus & intercessione infirmitas nostra juvetur, sed etiam ut clarissimis virtutum eorum